

28. volum. 2. & Gomez Arias in hac l. 3. numero 136.

* Ad numer. 48. ibi.) Tamen hodie indistinctè tam in testamento in scriptis, quam nuncupatio requiritur inter filios eadem solennitas, &c. Hanc opinionem defendit veramq; esse testatur Molina de Hispanorum primogenijs lib. 1. c. 12. num. 24. & lib. 2. c. 18. num. 27. ad fin. Greg. in l. 7. tit. 1. par. 6. verbo a los. Azeuedus in l. 2. tit. 4. lib. 5. Recopil. numer. 1. Cifuentes hic, quicquid contrarium tenuerit Tellus domini mei a certimus impugnator hic nu. 5. & 13. & 14. sed Matiençus in l. 2. tit. 4. lib. 5. gl. 1. nu. 13. & seq. distinguit: inquit enim legistarū ius commune corrigite tantum quo ad testium solennitatem in quo eandem obseruādam censet quod in testamento inter extraneos in scriptis factō obseruatur, sed in nuncupatio non debere eandem solennitatem interuenire inter liberos quæ inter extraneos docet in d. l. 2. gl. 1. num. 3. alios plures referens.

* Ad num. 49. ibi.) Vno eodemq; tempore loco, & contextu, &c. Vide quæ addidi ad numer. 33. ibi non valebit testamentum supra hac l. & vltra ibi allegatos Menchacam lib. 3. de success. creatione. §. 22. nu. 91. & §. 30. num. 11. & 12.

* Ad num. 50. ibi.) Primo infero quod si testator coram duobus vel tribus testibus dixit, &c. Vide allegatos in dict. numer. 33. supra, qui hanc eandem sententiam tenēt.

* Ad numer. 51. ibi.) Secundum quod in testamento cæci requiritur per nostram legem, &c. Vide Burgos de Paz hic, num. 133. Costā in l. Gallus. §. & quid sit tantum. 3. par. num. 86. de lib. & posth. & in c. si pater. versicul. adjiciens. numer. 8. Menchacam lib. 3. controuersiarum illustrium. volum. 3. & nouissime Spinū de testam. 7. par. Rub. per totam.

* Ad num. 53. ibi.) In quo articulo resolutiuè dico, &c. Totum hoc de iure communi procedit: quid autem de iure regio obseruandum sit refertur in num. 59. & vide allegatos in num. 48. in fin. supra hac l. ibi tamen hodie, &c.

* Ad nu. 53. ibi.) Secundum quod requiruntur duo testes masculi vel fœminæ, &c. Vide Tellum hic, 1. par. num. 13. Burgos de Paz. num. 134. cum sequent. Matiençum in

l. 2. tit. 4. lib. 5. nouæ Recopil. gl. 1. num. 13. cum duobus sequent.

* Ad nu. 59. ibi.) Hodie tamen in nostro regno hanc eandem sententiam tenet & communem asserit Matiençus in l. tit. 4. lib. 5. Recop. gl. 1. num. 3. quam etiam tenere refert Cifuentes hic, numer. 7. Palacios Rubr. num. 4. Tellum Fernandez num. 13. in 1. part. huius legis, & videas quæ sup. nu. 48. ibi, tamen hodie addidi.

* Ad numer. 60. ibi.) Sed his non obstantibus ego teneo cōtrariam sententiam, &c. quæ sententia domini mei confirmatur ex eo, quia cum lex Regia maiorem solennitatem exigat in testamēto in scriptis quam in nuncupatio, & in nuncupatio inter liberos eandem solennitatem desideret, quā inter extraneos, & sic maiorem quam de iure communi inter liberos requirebatur: absurdum foret si in testamento in scriptis in quo maior solennitas ius commune exigat minorem solennitatem exigeret lex Regia quam rationem scribēs licet latiùs scripserit reperi Matiençum in l. 2. tit. 4. lib. 5. Recop. gloss. 1. num. 6. qui hanc etiam opinionem defendit à numer. 4. vsque ad octauum alias plures rationes in eius confirmationem congerens, & praxi receptam testatur Cifuentes hic, nu. 7. Gomez Arias, nu. 5. & pluribus sequentibus, Castillus verbo, entre los hijos, Greg Lopez in l. 7. tit. 1. part. 6. verbo, a los hijos, Couar. in epitome de sponsalibus. 2. p. c. 8. §. 4. num. 13. in fin. Azeuedus in d. l. 2. tit. 4. lib. 5. num. 1. Ex quibus infero perperam Tellum Fernandez hic, nu. 5. dominum meum reprehendisse, & num. etiam 13. in 1. par. existimantem etiam hodie differentiam testandi inter liberos & extraneos durare, quem etiam sequitur Burgos de Paz hic, num. 64. Menchaca de success. creatione. §. 21. nu. 13. 14. & 15. quorum fundamentis latè satisfaciunt cōtrariæ opinionis authores supra allegati.

* Ad num. 62. ibi.) In testamento condito inter liberos subintelligitur & censetur apposita clausula codicillaris, &c. Communem esse hanc sententiā refert Matiençus in d. l. 2. tit. 4. lib. 5. gl. 1. num. 9. Menchaca de success. creatione. cap. 21. num. 64. Burgos de Paz hic, nu. 178. alios plures eiusdem sententiæ authores citans.

* Ad